

Io. Iacob. Breitingeri, dissertatio epistolica, qua argumenta, quibus clausulae o.d. vulgo propugnari solet, modeste expenduntur

Autor(en): **Breitinger, J. Jacob**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1748)**

Heft 11

PDF erstellt am: **22.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394629>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

JO. JACOB. BREITINGERI,

Differtatio Epistolica,

qua Argumenta,

quibus

CLAVSVLÆ O. D. AΥΘENTIA

vulgo propugnari solet,

modeste expenduntur.

Ad

Virum venerandum atque eruditissimum

JO. CASPARVM HVLDRICVM

Cœtus Turicens. qui in Templo Abba-

tissano colligitur, PASTOREM

clarissimum.

QUum nuper in publica deliberatione Quæ-
stio forte incideret de Αὐθεντία Clausulæ
Orationis Dominicæ, qualis apud S.
Matthæum Cap. VI: 13. in nostræ æta-
tis Codicibus græcis typis exscriptis passim his
conceptis verbis legitur: Ὅτι σου ἐστὶν ἡ βασιλεία,
καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ δόξα εἰς τὰς αἰώνας. Ἀμήν: at-
que ut fieri solet in quæstionibus, in quas quasi
aliud agendo incidimus, varia in utramque par-
tem essent iactata, quæ accuratiore indagine &
disquisitione haud indigna videbantur: Constitui
apud animum meum in hanc causam diligentius
incumbere, atque præmissis nonnullis, quæ ad
huius

huius controversiæ historiam illustrandam facere possent, ea Argumenta, quibus vulgo huius Epilogi, quo sacra Precum formula a dulcissimo Sotere tradita concludi solet, *Αὐθεντία* & divina auctoritas propugnatur, sub examen revocare atque modeste expendere: Idque eo maxime consilio, ut summorum Virorum, quorum opera Deus O. M. in emendandis Ecclesiæ nostræ Sacris uti voluit, circa hanc Quæstionem dubitationes ac dissensum a calumnia vindicarem, simulque patefacerem, eam persuasionem, quæ deinceps apud nos invaluit, non iis rationibus niti atque confirmari, quæ omni exceptione maiores sint, neque nullam amplius dubitationem relinquunt. Hanc autem Disquisitionem, si recte Te novi, **VIR VENERANDE** atque **AMICISSIME**, præclaro Nomini Tuo a me inscribi, non indigne feres; neque enim aspernari poterit Tua Humanitas istud pietatis officium, quo meum erga Te studium, & quantum Eruditioni ac Judicio Tuo tribuam, publice declarare volui: Immo vero etiam Judicium Tuum de hac causâ expetere audeo; quod dum facio, velim Tibi persuadeas, quoniam nihil mihi prius aut antiquius est quam solida veritatis cognitio, Te non posse ullum mihi gratius præstare officium, quam si me non malo animo errantem placide in viam reducas, vel etiam ipsius causæ, quam impugnare ac labefacere sustineo, patrocinium in Te suscipias: Doleo enim hanc causam non firmioribus hætenus præsidiis fuisse communitam.

Notum est **ERASMUM Roterod.** in typis exscribendo **N. T. græci Codice** inter primos desudasse: qui-

bus præfidiis instructus tantum opus fuerit aggressus, qua fide ac diligentia in eo versatus sit, ipse in *Apologia* lectu dignissima his profitetur verbis: *Restituimus, quæ temporum ac librariorum vitio fuerant depravata, idque fecimus, neque levi quod dici solet brachio, neque temere; sed primum ex Canonum consilio, ad Græcæ originis fidem, examinatis exemplaribus latinis, neque tamen fidentes paucis, aut quibuslibet. Laurentius Valla VII. bonæ fidei Codices se secutum fuisse testatur. Nos in prima recognitione IV. Græcis adiuti sumus, in posteriore V. Deinde consultis tum pervetustis tum emendatis aliquot Latinæ Linguæ voluminibus: Nec hoc contenti, discussis & exploratis probatissimis Autoribus, non oscitanter observavimus, quid citarint, quid legerint, quid emendarint, quid interpretentur. Atque hisce rebus omnibus qua licuit vigilantia, certe summa fide, collatis ac pensatis, quod optimum iudicavimus, secuti sumus: Et hac lege in medium contulimus, ut nihilo secius suo quisque iudicio frueretur. Hinc a Joanne OECOLAMPADIO, qui sociam ipsi operam in castigandis primæ editionis Anni MDXVI. formulis præstitit, hanc laudem meruit, quam publico testimonio consignatam ad calcem illius Libri adiectam legimus: Ego vero, cui hac hieme aliquin Theologiæ apud Basilienses vacaturo felicissima magni ERASMI consuetudo contigit, non possum non testari infatigabilem hominis strenuitatem, vix credendam in tractando fidem. - - Admirabile enim spectaculum mihi erat - - dictantem recognoscentemque, quantum tria præla exciperent, videre, ac nihilo secius interim Græca Latinaque exemplaria, eaque varia & vetustissima consulentem, Græcos Latinosque Interpretes conferentem, priscos ac recentiores primæ simul ac infimæ classis Scriptores perpendentem. Hinc est, quod non sensa modo*

*modo aperuerit, . . sed nec verba minima articulos-
que ipsos & apiculos minutissimos præterierit. Et mi-
rum profecto, neque multum a manifesta con-
tradictione abest, hanc Erasmi græcam Editio-
nem posterioribus curis castigatam per duo fere
Secula pro unica genuini Textus norma, non sine
superstitione & contra Erasmi consilium, fuisse ha-
bitam; neque tamen interea ullum vel infimi sub-
sellii hominem extitisse, qui non putarit in inter-
pretandis Sacris Libris pro concione populi sibi
quoties libitum fuerit impune licere huius Editio-
nis fidem & auctoritatem convellere. Præferunt
quidem Græcæ Erasmi Editiones Clausulam Ora-
tioni Dominicæ adiectam; sed tanquam addita-
mentum aliquod, quod Græcis librariis esset trans-
scribendum: Ita enim in Apologia sua diserte
ERASMUS: *Comperio quædam apud illos (Græcos)
addita ex more solenni, veluti Coronidem illam sic ad-
ditam precatiori dominicæ, quemadmodum apud nos in
calce Psalmorum adiicitur: Gloria Patri. Ea non re-
secuimus a contextu, sed tamen in Commentariolis ad-
monemus addita. Nam is error minus habet periculi,
cum quod frequenter comperio factum, ex aliis locis ad-
scribit Lector, quod in simili sententia deerat alibi. Ha-
bes rationem cur non e textu eliminatam voluerit
hanc περισχὴν: Accipe ex eius Annotationibus, qua-
re ab hominibus Orationi Dominicæ additam
eandem censeat: Hanc Coronidem in omnibus Græco-
rum exemplaribus adiectam comperio. Verum quando
nec in ullis Latinorum exemplaribus adscriptum visitur,
nec exponitur ab HIERONIMO, aut ullo prorsus Inter-
pretum, præter CHRYSOSTOMUM & huius abbre-
viatorem recentem THEOPHYLACTUM, apparet ex
solenni consuetudine sic additum, ut angelicæ Saluta-**

zioni quædam adiecerunt, nec ab Angelo dicta, nec a quopiam alio. Consimili studio adiectum est in fine Psalmorum, Gloria Patri. Proinde non est cur LAURENTIUS VALLA stomachetur bonam precationis dominicæ partem fuisse decurtatam. Magis taxanda fuerat illorum temeritas, qui non veriti sunt, tam divinæ Precationi suas nugas assuere: Nugas enim iure dixerim ad divinam Doctrinam, quicquid ab hominibus profectum fuerit; præsertim, si quod ab hominibus annexum sit, ad Christum Autorem conferatur. Quod si quis contendat, hoc ab ipso Christo fuisse additum, necesse est, ut fateatur, omnes nostros, ac totam Romanam Ecclesiam hæcenus fugisse bonam partem dominicæ Precationis: ac ne Africanam quidem recte legisse. Nam CYPRIANUS enarrans peculiari libello locum hunc Evangelii, ne verbo quidem agnoscit hanc Coronidem. Porro qui ideo putant ab Evangelista fuisse additam, quod CHRYSOSTOMUS interpretetur, levi nituntur argumento. Siquidem interpretatur ille, quod sollempnis usus Ecclesiæ Græcicæ quotidie sonabat: perinde quasi quis enarrans Psalmos, interpretaretur sollempnem illam Coronidem: Gloria Patri & Filio &c. Nec mirum si hoc dignatus est facere Chrysostomus, cum in Homiliis diligenter exponat Hymnum, quo monachi quidam soliti sunt consecrare convivium suum. In aurea Catena hoc modo citatur Chrysostomus: Quia vero sollicitos nos fecerat inimici memoria, in hoc quod dixerat, libera nos a malo, rursus audaciam præbet per hoc, quod in quibusdam libris subditur, quia tuum est regnum &c. quod unde sumtum sit nescio: nam hæc verba non reperiuntur in Chrysostomi commentariis. Qui contendunt hanc Coronidem adscriptam fuisse ab Evangelista, iidemque confirmant, hanc editionem aut esse Hieronymi, aut certe ab illo castigatam; velim ut explicant

plicent nobis, cur ille tantam Sacrae Precationis partem ausus sit omittere, qui ne in commentariis quidem ullam huius fecerit mentionem. Hæc quum sint dilucidiora, quam ut argumentis egeant, tamen non defuerunt, qui mihi ex hoc quoque loco gravem struerent calumniam. Ex quo loco clarum esse arbitror, Erasmum nonnisi re probe expensa & gravissimis rationibus inductum de huius Clausulæ aut Coronidis in hoc Matthæi loco ἀθεντία & divina origine dubitasse, eamque suspectam habuisse: Postquam enim animadverterat, a nullo veterum Interpretum, ne quidem ab iis, qui Orationem dominicam dedita opera enarrant, hanc περιχὴν agnosci, neque a Latinis exemplaribus præferri, neque ab Ecclesia Latina vel Africana unquam pro genuina fuisse habitam, neque in antiquis illis Commentariis, quos ORIGENES & HIERONYMUS adhibito iudicio critico publicarunt, unquam extitisse; præterea autem intelligeret Græcos illos Codices, quibus ipse, VALLA, ac pauci alii hæctenus fuerant usi, neutiquam eius ætatis esse, ut hunc antiquitatis consensum possent convellere; non temere aut præter rationem statuisse videtur, hanc Coronidem sequiori demum ætate ex solenni Ecclesiæ usu, in Græcis Matthæi Libris ac Codicibus Orationi Dominicæ fuisse adscriptam: in quo iudicio suo hunc Criticorum Canonem secutus est, quem Clariss. WITHBYUS V. L. p. 28. his verbis effert: „Lectiones Vari-
 „antes a MSS. desumptas, quas nec antiqui Pa-
 „tres, nec Græci Commentatores, nec Versio-
 „nes vetustissimæ agnoverunt, iure optimo rei-
 „ciendas esse nemo inficiabitur. „ Et quanquam non defuerint, qui Erasmi hoc iudicium invidio-
 sis

sis criminationibus invisum reddere omnibus modis sunt conati, de quibus *in Capit. Argum. contra morosos quosdam ac indoctos* ipse graviter ita conqueritur: *Sed audio quosdam ita loqui: Rem amplectimur, sed offendiculum datur multitudini, si senserit in libris, (in formulis) quos hactenus secuti sumus, inesse quicquam vel vitiatum, vel non intellectum. Primum non ista scribuntur multitudini, sed eruditis & præcipue Theologiæ candidatis: Hos offendi non oportet: Neque nos correctionem appellamus laborem nostrum, sed annotationes. Neque cuiquam molesti sumus aliter citanti, & veterem, aut etiam depravatam Editionem sequenti. Ab ipsis potius nascitur offendiculum, qui in publicis concionibus, qui in computationibus, qui in vehiculis ac navibus apud idiotas ac mulierculas vociferantur esse, qui sacros libros & PRECATIONEM DOMINICAM EMENDET.* Misera vero conditio sacrorum voluminum, si horum autoritas pendet ab indoctis, ut fere sunt, librariis, aut temulentis typographis. Nihilominus tamen non defuerunt Viri eruditionis ac sapientiæ laude clarissimi, qui rationum pondere commoti hoc ERASMI de O. D. Clausula iudicium suo calculo comprobarunt: Et ut de nostris tantum loquar, ipse B. HVLDR. ZVINGLIUS in *Annotationibus ad Matthæi Evangelium*, quas ex ore eius excerptas LEO JUDEÆ edidit, ubi diligenter enarrat Orationem Dominicam, hanc Clausulam penitus omittit: idque non temere, sed certo consilio factum esse, quod hanc Clausulam a Domino non esse profectam persuasum haberet, inde manifestum est, quoniam *translatio Tigurina Germanica*, cuius Textum in publicis ad populum Sermonibus, (• quibus istæ annotationes maximam partem sunt excerptæ,) secutus est, hanc

hanc Coronidem non agnoscat. In omnibus enim editionibus Bibliorum vernaculis, quæ Tiguri ab anno MDXXIII usque ad annum MDXXXI curatæ & typis exscriptæ sunt, hæc Clausula desideratur, atque O. D. ita concluditur: **Sonder erlöß uns von dem Uebel. Amen.** Ita reperias in editionibus, quæ ex officina (*) *Christophori Froschoueri* hoc temporis spatio prodierunt, v. c. anno MDXXIII in fol. Eiusdem anni in forma quam vocant duodecima characteribus latinis: Anno MDXXVIII eadem forma: Anno MDXXX. in 8vo characteribus latinis. Sic etiam in iis exemplaribus, quæ an. MDXXIII in 8vo apud *Job. Hager* typis exscripta sunt. Accedit, quod etiam in utroque (***) Catechismo a LEO-
NE

(*) Post annum MDXXX omnes editiones Froschouerianæ vernaculæ, toties repetitæ, hanc Clausulam præferunt: quemadmodum etiam in latinis Bibliorum editionibus ex versione Tigurina, quæ in N. T. Erasmus fere expressit, Clausula hæc quoque addita legitur: Quod sine dubio etiam in vernaculis editionibus, Erasmi exemplo, factum est, qui quamvis illam suspectam habuit, eam tamen ex editionibus suis noluit expunctam: ne itaque Erasmo audaciores videri possint, desideratam hæctenus hanc Clausulam post annum MDXXX rursus in textum receperunt. Incidi tamen in editionem N. T. forma 12mæ, quæ apud RODOLFUM WOLFUM anno MDCXIII impressa est, in qua Matth. VI: 13. ita legitur: **Sonder erlöß uns von dem bösen. Amen.** Ex præfatione autem cognoscitur, quod Clausula omisa sit, quia Froschouerianam editionem de anno MDXXVIII *κατὰ πόδα* exprimit.

(**) Titulus Catechismi ita habet: Catechismus christl. Klare und einfalte ynleitung in den Willen vnd in die Gnad Gottes, darinn nit nu die Jugend, sunder ouch die Ästern underricht, wie sy ire Kind in den Gebotten

NE JUDÆ conscripto, & cum BULLINGERI præfatione anno MDXXXIII. publicato hæc clausula cum in ipsa precum formula, tum etiam in eius enarratione fuerit prætermissa. Diserte vero magnus BVLLINGERVS hanc Clausulam tanquam assumentum humanum repudiat, primum in *Commentariis in Matth.* anno MDXLII editis, ubi postquam pluribus enarrasset Orationem Domini, hæc tandem p. 68. b. subdit: *Adiicitur sub finem Orationis dominicæ ante voculam Amen a quibusdam: Quia tuum est regnum & potestas & gloria in sæcula. At ERASMUS testatur illa verba non reperiri in ullo vetusto exemplari Latino, in Græcis quidem exemplaribus omnibus videri adiecta, sed a nemine nisi uno CHRYSOSTOMO & ejus imitatore THEOPHYLACTO exponi: itaque videri sibi Orationi dom. adiecta, quemadmodum Psalmis quidam subiungunt: Gloria Patri & Filio. &c. Addit idem ille: Proinde non est, cur L. VALLA stomachetur, bonam precationis dom. partem fuisse decurtatam: magis taxanda fuerat illorum temeritas, qui non veriti sint tam divinæ precationi suas nugas assuere: Nugas enim iure dixerim ad divinam doctrinam quicquid ab hominibus profectum fuerit: præsertim si quod ab hominibus annexum sit, ad Christum Autorem conferatur. Ad eundem fere modum additis novis quibusdam argumentis in *Sermonum Decadibus Decad. V. Serm. V. Tom. III. p. m. 320.* qui An. MDLI editus est. Et quum deinceps hæc Sermonum Decades An. MDLVIII.*

Gottes, in christlichem Glouben, und rächtem Gebätt vnderwysen mögind. Geschriben durch Leonem Jude, Diener des Wortz der Kilchen Zürich. in 8vo Vide ibi pag. LXXXIII. & pag. XCIII. & XCIII.

MDLVIII. a Joanne HALLERO, Theologo Bernensi, tanquam communis quædam forma sanioris Doctrinæ ab Helveticis Ecclesiis post Sacrorum emendationem receptæ in promiscuum christianæ plebis usum sub titulo *Bullingers Hausbuch* vernaculo Sermoni essent redditæ, hæc ipsa disputatio de Orationis Dominicæ Clausula, tanquam plebis cognitioni & eruditioni non subtrahenda, in omnes istius Libri editiones est transfusa: Dabo ipsa eius verba ex *Halleri* interpretatione: Es setzen aber etliche vor dem Wort Amen gleich nach denen Worten, Sondern erlöß uns vom Bösen / diese Worte hinzu: Dann dein ist das Reich / und die Kraft / und die Herrlichkeit / in Ewigkeit. Es bezeuget aber Erasmus von Rotterdam in seinen Annotationibus über das N. T. daß diese Worte in keinem alten lateinischen Exemplar gefunden werden. In dem griechischen werde es wohl allenthalben hinzugesetzt, aber von keinem der über das N. T. geschrieben, ausgelegt, ohn allein von Chrysostomo und seinem Nachfolger Theophylacto. Darum bedunke ihn, es seyen diese Worte zum Vater unser hinzugethan, wie von etlichen den Psalmen angehängt sind diese Worte: Ehre sey dem Vater und dem Sohn. 2c. Er setzt auch weiter also: Darum darf Laur. Vallæ eben nicht so sehr zürnen und sagen, daß ein guter Theil des Vater unsers abgehauen seye. Es ist vielmehr derjenigen Vermessenheit zu schelten, die sich nicht gescheuet haben, diesem so göttlichen Gebett ihre Stempney anzustiften: Denn das nenne ich Stempneyen gegen der Lehre Gottes zu rechnen, was von Menschen kommt, besonders wenn man das Christo als einem Anfänger zuschreibt,
das

das aber von Menschen kommt. Es zweifelt aber nicht allein Erasmus an diesem angehängten Stück: Sondern auch das Hispanische Exemplar, so man Complutense nennet, meldet, daß es gläublicher seye, diese Worte gehören nicht zum Vater unser / und seyen durch Fürwitz etlicher Buch-Schreiber und Abschreiber hinzugethan. Es wird ferner in jezgedachtem Exemplar gleich dieses hinzugesetzt: *Wiewohl aber der H. Chrysoftomus in seinem Comment. über den Matth. Homel. 20. diese Worte auslegt, als gehörten sie zum Text; so wird doch gläublicher geachtet, daß schon zu seiner Zeit die wahren ursprünglichen Exemplar an diesem Ort seyen gefälscht worden, dieweil man nicht liest, daß vor der Zeit irgend einer aus den Latinischen, auch der allerältesten, dieser Worte gedacht habe. Und das ist auch die Wahrheit: Dann die fleißigen Ausleger, auch die ihnen sonderlich das Vater unser von Wort zu Wort auszulegen fürgenommen haben, als da gewesen sind, Cyprianus, Hieronymus, und Augustinus, haben dieses angehängten Stück nicht mit einem Wort gedacht.* *Quid itaque mirum, BULLINGERUM in Catechesi pro adultioribus An. MDLIX. mandantibus Ministris Ecclesiæ Tigurinæ, ad utilitatem iuventutis vel Scholæ Tigurinæ, conscripta, in enarratione Orationis Dominicæ hanc Clausulam, tanquam præter rationem ipsi adiectam, alto silentio præterire? Quod dein etiam in translatione huius libelli vernacula, quæ An. MDXCVII. a Jo. Wolfio novæ suæ Editioni des Bullingerschen Hausbuchs subiuncta fuit, religiose servatum & observatum est. Quid mirum eundem BULLINGERUM in Compendio Christianæ Religionis*

ligionis An. MDLVI. germanice edito, Lib. VII. Cap. X. & a formula Orationis, quemadmodum a Christo fuerit prolata, & ab explicatione subiuncta hanc Clausulam omnino voluisse exclusam. Habuisse vero *Bullingerum* in hac caussa Fratres suos sibi suffragantes & ὁμοψήφους, vel ex eo manifestum est, quod hos ipsos libros, in quibus hanc disputationem diligentius instituit, & Clausulam illam tanquam humanum commentum proscrit, partim iis mandantibus, in publicum Scholarum & promiscuæ plebis usum conscripsit: Hoc enim in solenni Precum formula, quotidiano & publico & privato usu tantopere frequentata, nisi iis probantibus & calculum suum adiicientibus, ipsi nunquam tentare licuisset. At neque desunt aperta huius rei testimonia: Fidem faciat **CONR. PELLICANVS** in *Comment. in Matth.* An. MDXXXVII. edito, p. 67. ubi hæc leguntur: *Hanc Coronidem apud Græcos appositam, Latinis ignotam, apparet ex solenni consuetudine sic additam, ut Angelicæ Salutationi quædam adiecerunt, nec ab Angelo dicta, nec a quopiam alio, utpote apud Græcos: Quia peperisti Servatorem animarum nostrarum. Sic Psalmis adiectum: Gloria Patri & Filio. &c. Quod si quis contendat a Christo adiectam, necesse est fateatur; omnes nostros, & Romanam Ecclesiam & Africanam non recte legisse* Quando ne Cyprianus quidem vel verbo eam agnoscit: & Hieronymus quoque nullam eius in *Commentariis* mentionem facit. Huc imprimis etiam facit, quod in **AGENDIS ECCLESIASTICIS**, sub titulo *Christliche Ordnung und Bruch der Kilchen Zürich*, de annis MDXXXV: MDLXIII: MDLXXXI: MDCXII: (*) quoties-

Tom. III.

B b

cun-

(*) Primum occurrit hæc Clausula O. D. in formula gra-

cunque O. D. formula diserte exponitur, illa, omis-
 sa Clausula, constanter in his verbis finitur: **Con-
 der erlös uns von dem Bösen. Amen.** Atqui cum
 hæc constans fuerit principum Ecclesiæ nostræ Do-
 ctorum persuasio, gravissimis rationibus nullo
 modo destituta; iure merito quæsieris, qui ergo
 factum fuerit, ut deinceps hæc O. D. Clausula ci-
 tra ullam dubitationem & in N. T. Codices verna-
 culos, & in Libellos Catecheticos atque Liturgi-
 cos fuerit postliminio recepta, & ab Interpreti-
 bus ac Oratoribus publicis, tanquam pars Ora-
 tionis Dominicæ, ab ipso Domino tradita, pro
 concione exposita ac venditata: vix enim credi-
 bile esse, hoc citra novum & accuratum huius
 Quæstionis examen, quo argumenta huic Clausu-
 læ fidem abrogantia, ab *Erasmio* primum, mox
 etiam a *Bullingero* prolata, diligenter fuerint dis-
 cussa & folijs leviora inventa, novaque ac firmio-
 ra pro eius divina auctoritate præsidia excitata;
 aut etiam citra publicum Ecclesiæ iudicium, fa-
 ctum esse aut fieri potuisse? At mihi quidem ni-
 hil eius quicquam, neque de suscepto a quoquam
 accurato examine, neque de iudicio Ecclesiæ pu-
 blico constat; & gratissimum revera is mihi præ-
 staret officium, qui tale quid a nostris aut tenta-
 tum unquam, aut confectum esse, antequam hæc
 de

tiarum actionis, qua utuntur post deductum aliquod
 funus; quæ Agendis ecclesiasticis demum circa finem
 Seculi XVI accessit: Atque admodum probabile est,
 nonnisi post annum MDCXX hanc Clausulam in Li-
 turgias publicas fuisse receptam; Ita in Agendis de
 an. MDCXXXIII undecim vicibus diserte ac plene
 legitur O. D. formula, subiuncta semper Clausula:
 quæ in superioribus editionibus desideratur,

de Coronidis huius apud Matthæum divina auctoritate persuasio usu inter nos invalesceret, edocere posset. Quoad autem hoc desiderabitur, non aliam eius facti rationem invenire possum, quam quæ ab ERASMO in *Capit. Argum. contra morosos quosdam ac indoctos* §. 36. his verbis explicatur: *Neque quicquid receptum est in usum ecclesiasticum, continuo receptum est iudicio. Quædam casu irrepunt, ad quæ connivet Ecclesia; præsertim si non videantur ad fidei morumque periculum pertinere. Immo fieri potest, ut in hoc genere quædam ad tempus ignoret Ecclesia.*

Postquam vero dudum iam hæc persuasio de Clausula, tanquam O. D. parte necessaria, ab ipso Christo tradita, inter nos usu fuerat confirmata; plurimi quidem extiterunt, qui eam rationibus asserere sunt aggressi, qui quoniam adversus Pontificios hanc causam agere videri volebant, plura sibi aliquando licere existimabant. Ex nostris, qui in publica ad plebem christianam Institutione huius causæ patrocinium suscepit, atque argumentis a Clariss. WITSIO subministratis potissimum usus est, fuit quondam Vir Clarissimus & de cœlesti Doctrina meritissimus J. J. HULDRICUS, *Ethices & J. N. Prof. & in Orphanotroph. Pastor primarius*: Hic in Sermonibus S. quibus Dominicam Orationem non perfunctorie pertractavit, quosque An. MDCCXII. sub titulo *das geistliche Rauchwerk* publicæ luci exposuit, antequam ad Clausulæ illius tractationem accederet, dedita opera in hanc causam incubuit, atque IV. præcipue argumentis docere instituit, hanc O. D. Coronidem, uti apud Matthæum extat, ipso Domini ac Soteris nostri ore prolatam divinæ ac

Sacræ autoritatis esse. Liceat autem iam nobis hæc ipsa argumenta, quæ vulgo pro Coronide illa adduci solent, sub examen revocare, ut intelligamus, quantum ipsis in hac caussa tribuendum sit. Prius vero quam ad ipsum examen accedo, operæ pretium erit nonnulla de statu, natura ac momento huius Quæstionis præmonere. Nimirum, si quid intelligo, omnis Quæstio huc redit: Utrum Clausula illa, quæ apud Matthæum Cap. VI: 13. Orationi Dominicæ in nostris Codicibus, græcis perinde ac e græco converfis, hodie passim subiecta legitur, ab ipso Domino ac Sotere nostro, tanquam pars necessaria, quæ ad integritatem illius formulæ pertineret, fuerit addita, atque proin a Matthæo ipso calamo excepta & scripto tradita? An vero hæc Clausula, quæ apud solum Matthæum sacram hanc Precum formulam, ab ipso Domino traditam, concludit, sit ὑποβολιμαία, a Librariis demum ex solenni Ecclesiæ usu, quo cum ipsa Precum formula in unam quasi Orationem coaluit, Matthæi Evangelio adscripta atque inserta, ita ut neque a Christo Domino, neque a Matthæo profecta censenda sit? Neutiquam ergo vel veritas huius Δοξολογίας aut Αἰτιολογίας, quam isthæc Clausula complectitur, vel usus ac cum reliqua Doctrina ἀναλογία in disceptationem venit: Quanquam enim BULLINGERUS, præeunte ERASMO, minus digne de huius Clausulæ argumento sensisse videri possit, quum non dubitavit dura in speciem verba repetere, ac tantum non sua facere, quibus Erasmus in temeritatem eorum invehitur, qui non veriti sint tam divinæ Precationi suas NUGAS assuere: site tamen eius Sententiam perpendens eum longe aliud

aliud significasse deprehendet, quam durior verborum sonus prima fronte præ se ferre videtur: Clarum enim est ex subiuncta epexegesi illum NVGARVM apellatione neutiquam respexisse ad argumenti rationem aut dignitatem; sed ipsum promiscue omnia ab hominibus profecta & ad Christum Autorem temere translata, cuiuscunque ea generis aut argumenti fuerint, *Nugarum* nomine censere, ut ita horum hominum, qui sua qualiacunque audent Christo transcribere, temeritatem notaret, suamque adversus divinam auctoritatem reverentiam significanter declararet: Qualem animi pium affectum V. Cl. *Alb. BENGELIUS* in sua de hac O. D. Clausula Disquisitione his verbis expressit: *Sane qui Verbum Dei reveretur, mundum mereri nolet, ut talem periocham, contra atque penes conscientiam res fert, vel demat vel addat.* Verum Quæstio de origine huius *περιοχῆς* apud Matthæum mere critica, & proinde eius generis est, quæ nonnisi historicis argumentis aut confirmari aut refelli possit. Quapropter illa non a quibusvis promiscue, qui Theologiæ aliquod Systema explicare didicerunt, multo minus in concione plebis, quæ huius generis demonstrationes capere non potest, in disceptationem vocanda; sed iis in solidum relinquenda est, qui veterum monumentorum, ac MSS. Librorum usu, nec non Artis Criticæ cognitione exercitatum probe & subactum ingenium habent: quo in genere *ERASMVS Roterdamus* ita excelluit, ut sua ætate non haberet, qui cum ipso comparari potuisset. Quod si iam ad examinandum ipsa argumenta accedamus, quibus vulgo *Αὐθεντία* Clausulæ O. D. propugnari solet, primum se nobis offerunt eius generis, quæ

ad statum Quæstionis , prout supra a nobis definitus est , nullo modo pertinent. Primum ita habet : Dieser Beschluß ist ohne Widerred herrlich und beweglich : Er ist voller Kraft und voller Weisheit , voll Geist und voll Lebens. Er haltet in sich die überzeugendesten Ursachen , warum man sein Gebett zu Gott dem himmlischen Vater verrichten , und sein Herz vor Ihm ausschütten soll. Es sind darinnen überdas enthalten die vorbündigste Beweggründe , wie Gott den himmlischen Vater zur Erhörung unsers Gebetts zu vermögen , so uns selber und unsern schwachen Glauben in der Hoffnung derselbigen zu stärken. Keine andere als die höchste himmlische Weisheit hat ihn darum ersinnet : Kein anderer als der vollkommenste Bettmeister Jesus diesem Gebett einverleibet. Ad eundem fere modum CALVINUS in *Harm. Evang. ad hanc pericopam p. m. 155.* *Mirum est hanc precationis Clausulam , quæ tam apte quadrat , a Latinis fuisse omissam. neque enim ideo solum addita est , ut corda nostra ad expetendam Dei gloriam accendat , & admoneat quisnam esse debeat votorum nostrorum scopus : Sed etiam ut doceat , preces nostras , quæ hic nobis dictatæ sunt , non alibi quam in Deo solo fundatas esse , ne propriis meritis nitamur.* At vero hoc genus argumentationis Clausulæ illius ἀδερτιαν non probat , sed præsupponit , etenim sententiam eius & fines , qui cum reliqua precationis formula apte cohæreant , neque Deo sint indigni , pandit ac deprædicat ; non autem ostendit , hanc Clausulam eiusmodi veritates ambitu suo complecti , quæ non potuerint a Christiano homine proficisci & huic Precum formulæ adiungi. Atque mihi omnino persuasum est , si placuisset his
patro-

patronis eam Sententiam amplecti, quæ hanc Clausulam pro humano assumpto reputat, illos in excogitandis causis ac rationibus, ob quas cum reliquo precationis systemate non satis apte connexa sit, non minus futuros fuisse ingeniosos & facundos: Admodum tunc proclive fuisset in hanc fere Sententiam differere: Equidem iam in ipsa præfatione Orationis Dominicæ, qua Deum ut Patrem, & quidem ut Patrem cœlestem, cuius imperio omnia subsint, alloqui confidenter iubemur, paternus eius erga nos amor & infinita potentia, tanquam plenæ & solidæ fiduciæ fulcra & incitamenta, mentibus nostris inseruntur, & iam satis uberem fiduciæ materiam nobis suppeditant: Quid quod etiam Gloriæ eius ac Regni amplitudo ita commendatur ac celebratur in prioribus petitionibus, ut plane otiosa videri possit & supervacanea illa per supposititiam clausulam repetitio. &c. Contra quum semel ut certum assumitur, hanc Clausulam ab ipso Domino traditam esse, tunc dubium nullum superest, quin ob sapientissimas rationes fuerit a Domino adiecta, quas dein etiam hominum sagacitas recte & investigare & explicare possit. Præterea & absque prorsus est isthæc argumentandi ratio: Equidem si ostendi posset, Clausulam illam, quæ ab ipso Domino tradita esse venditatur, ea continere, quæ cum reliqua oratione, cuius clausulam constituit, nullo modo quadrare, aut Deo indigna, aut Analogiæ fidei non consentanea videri possint; tum per se pateret, frustra illam divinæ originis censeari: Sed non statim in contrarium, si quid Deo non indignum, nec a reliqua doctrina penitus abluens; quin potius cum præsentissimo hominum

commodo coniunctum deprehenditur, inferre licet, ergo hoc ab immediata divina revelatione esse arcessendum & in Textu sacro pro *γνησίῳ* ac indubitate genuino agnoscendum: Quis enim in discernendis Librorum sacrorum veris ac genuinis Lectionibus hunc Canonem admitteret: Quæcunque Lectio, quæcunque pericopa, quamvis additamenti nomine suspecta, nihil continet, quod non aut Deo indignum aut Doctrinæ fidei contrarium sit, aut quod cum reliqua orationis serie non possit consistere, illa pro genuina ac legitima est agnoscenda. Adhæc si valeret ista argumentatio, qua usus & necessitas huius Clausulæ supra modum extollitur, ut vix possit quisquam sine scelere de suppositione vel additamento cogitare, profecto non intelligo qui possint, quotquot hac persuasione sunt imbuti, concedere, eam a S. Luca sine piaculo potuisse ommitti. Denique ista argumentandi ratio adversus *Erasmum*, *Bullingerum*, ceteros, qui hanc Clausulam lapsu temporis a Librariis ex solenni usu Ecclesiæ apud Matthæum fuisse additam autumant, prorsus nullam vim habet: nihil enim eos impedit, quominus æque pie de huius Clausulæ sententia & argumento sentiant, quanquam illam in Matthæi Codicibus pro supposititia habeant: Faciles enim ac libenter concedent, si quidem invicte demonstrari possit, hanc Clausulam necessariam O. D. partem constituere atque ab ipso Domino esse traditam, cuncta hæc præconia, quæ large in illam congeruntur, in illam omnino quam maxime convenire.

Hæc de primo Argumento: Alterum ita habet: *Dieser Beschluß ist selbst in den Schriften*
des

des A. T. und in den Gebettern der Gläubigen selbiger Zeiten aufs festeste gegründet : als vornehmlich in dem Gebett und der Lobpreisung Davids 1. Chron. XXIX : 10, 11, 12. Und darum zweifeln wir keineswegs , der Herr und Sohn Davids Jesus habe selbigen auch aus diesen Worten entlehnet. Eodem plane argumento utitur S. GLASSIUS Philol. S. p. 209. seq. *Scripturæ conformitatem fideique analogiam quod adtinet , satius certe est , addi δοξολογίαν illam , quam omitti : Est enim conformis tum locis Scripturæ aliis , & cum primis gratiarum actioni a Davide prolatae 1. Paralip. XXIX : 11. ex qua desumpsisse Christus Clausulam illam δοξολογικὴν omnino videtur. Paulus 2. Tim. IV : 18. reddens ultimam petitionem de liberatione ab omni malo , coronida εὐχαριστικὴν addit hanc : Cui gloria in secula seculorum. Amen. Quibus Clariss. WITSIUS , ut argumento novum aliquod robur conciliet , hæc præterea subiicit : *Accedit , quod discipuli Christi , in quibus Magistri agebat Spiritus , partes saltem aliquas eiusdem Doxologiæ divinis suis scriptis immiscuerint. Paulum certe hoc factitasse comperimus. 1. Tim. I : 17. iterumque Cap. VI : 16. Idem Judas imitatus est Epistola suæ commate ultimo. Quum ergo consimiles Doxologias & alibi legamus , unde sua desumere amavit Dominus , & apud eos , qui sua a Domino mutuati sunt ; quidni agnosceremus ea verba a Domino profecta esse , quæ Domino dignissima esse diffiteri non possumus. Eiusdem fere commatis est cum superiore hæc argumentatio , quæ huc redit : In aliis quoque S. Scripturæ locis , itidemque in fidelium precibus simili fere modo gloria divini nominis , summæque Numinis perfectiones celebrantur : Ergo hæc Clausula Orationi Dominicæ apud Matthæum subiecta , quæ**

v. 25.

Αιτιολογίας potius, quam Δοξολογίας rationem ha-
 bere censenda est, non fuit ab alio, quam ab
 ipso Christo Domino addita. Equidem si de eo
 iam constaret, quod est ipsum τὸ μέγα λίαν ζητέ-
 μενον, Christum ipsum hanc Clausulam, quæ
 apud Matthæum Orationi D. adiecta legitur, di-
 ctasse, tum vero nonnisi levissimam probabilita-
 tis speciem haberet, eundem simplicissimam hanc
 sive Doxologiæ, sive Aetiologiæ formulam aliun-
 de fuisse mutuatum: tantum abest ut ex levi hac
 suspitione quicquam circa Autorem, vel origi-
 nem huius περιόχης, confici possit: antequam
 enim de facto constet, frustra eius comparatio cum
 aliis instituitur. Immo vero cuius sine longa &
 operosa probatione aut exemplorum inductione
 per se patet, Sanctis omni tempore nihil fuisse so-
 lennius, quam Dei O. M. Gloriam & Potentiam
 dignis laudibus concelebrare: atque admodum
 probabile fit, simplicissimam ac brevissimam hanc
 laudationis formulam inter Judæos pariter ac Chri-
 stianos communi usu receptam ac frequentatam
 fuisse: ut adeo non minus vero simile sit, eam
 ab homine aliquo apud Matthæum fuisse additam,
 quam a Christo ipso præceptam. Id autem forte
 rectius ex analogia fidei & e Sanctorum exemplo
 constituitur, veritates illas, quæ Clausula O. D.
 continentur, in se & abstracte spectatas, utique
 divinæ originis & auctoritatis esse, quod passim
 in Sacris Libris inculcantur ac confirmantur: at
 vero in loco illo Matthæi hanc formulam non esse
 a Librariis additam, sed ipsum Soterem Autorem
 agnoscere, & ab ipso Matthæo fuisse perscriptam,
 hoc neque ex analogia fidei, neque ex aliorum
 exemplis probari potest. Ceterum si tantum de
 huius

huius *δοξολογίας* usu in genere quærat: Utrum illa & olim & hodie adhuc rectius cum Oratione Dominica coniungatur, an prorsus omittatur? nihil impedit, quominus & *Erasmus* & *Bullingerus* concedant, eam recte & pie & cum fructu cum Oratione Dominica in communi precum exercitio coniungi, quamvis eam non pro parte eius necessaria ab ipso Domino præcepta agnoscant.

Tertium Argumentum huiusmodi est: Es ist aus den Alterthümern der Juden zur Genüge bekannt, daß die Juden alle ihre Gebetter aus einer Tradition und Befehl ihrer Väter mit solchen Lobpreisungen des göttlichen Namens, und meistens mit diesen Worten: ברוד השם כבוד מלכותו לעולם ועד beschloßen haben. Wer will dann zweifeln Jesus habe eine solche Lobpreisungs-Formel an dem vollkommensten aller Gebetter auslassen wollen. At, ut verum fatear, mihi prorsus absonum videtur, velle Orationis Dominicæ perfectionem aut imperfectionem ex comparatione cum Judæorum precandi formulis æstimare; aut illi insignem aliquem defectum imputare, si non habeat disertam eamque a Judæis usurpatam *δοξολογίας* formulam adiunctam: quasi ullæ preces absque seria benignissimi & potentissimi Numinis celebratione a miseris homuncionibus fundi possint. Præterea non una hæc apud Judæos precum Clausula obtinuit, quæ cum nostra hac quadantenus consonare videtur; sed & aliæ, v. c. ברוד אתה "שמע תפלה. *Benedictus tu Domine, qui exaudis preces:* in Brach. fol. 29. col. 1. & huius generis plures: de quibus consuli possunt ritualia & libri orationum Judaicarum. Quid quod ipsa hæc formula *δοξολογίας* apud

apud Judæos publici tantum usus fuerat, qua populus preces a Sacerdote in Sanctuario recitatas, quamprimum aliquas finiisset, quasi per Antiphonum obsignavit, clara & coniuncta voce inclamans: *Benedictum sit nomen gloriæ regni eius in æternum*: ut pluribus docet J. SAUBERTUS in *Dissert. de Precibus Hebræorum* §. 9. 10. & 11. Nunc autem non intelligo, quæ Christum ratio movere potuerit, ut formulam illam doxologicam præter morem gentis e publica Ecclesiæ Judaicæ Liturgia repetitam ad privatas preces transferret, in quibus Antiphono nullus erat locus. At vero huic argumento paululum aliter inflexo non parum tribuere videtur ὁ πάνυ venerandus WERENFELSIUS, quando ad calcem *Cogitat. ad Loca N. T.* p. m. 309. ita loquitur: *Minime contemnenda argumenta sunt pro huius Clausulæ γνησιότητι, in primis, quæ proferuntur ex Judæorum ritualibus libris, ex quibus apparet, hanc δόξολογίαν non esse inventum Græcorum.* At vero nihil cogit eos, quibus probabile fit hanc Clausulam e Græcorum Liturgia in S. Textum fuisse insertam, statuere, eam esse Græcorum inventum: Potuit hunc morem in publicis cœtibus preces publice fundenti per Antiphona respondendi Ecclesia Christiana sub ipsa sua incunabula e Synagoga accepisse; quod de altero Antiphono non obscure docet Paulus Apostolus 1. Cor. XIV: 16. Ἐπεὶ εἰάν τις εὐλογῆσῃ τῷ πνεύματι, ὁ ἀναπληρῶν τὸν τόπον τοῦ ἰδιώτου, πῶς ἐρεῖ τὸ ΑΜΗΝ ἐπὶ τῇ σῆ εὐχαριστίᾳ; ἐπειδὴ τί λέγεις οὐκ οἶδες: etenim observante Cl. SAUBERTO, inter Hebræos idem obtinuit, ut indocti & idiotæ, qui nec nossent octodecim preces statas, nec Summulam earum, obligati essent saltem ingredi templum & responde

dere ibi AMEN, uti constat ex *Massec. Brachos*. Jam vero ex hæcenus dictis satis constare arbitror, tria hæc palmaria argumenta pro Clausulæ illius *αὐθεντία* in medium prolata, atque ab argumenti dignitate, & Analogia cum aliis S. Scripturæ locis, & ab exemplo Ecclesiæ Judaicæ repetita, nullam habere consequentiæ vim, atque Quæstionem nostram, prout a nobis definita est, prorsus in dubio relinquere.

Itaque quartum restat Argumentum, idque historicum & unicum, cui in hac causa locus est, & in quo tota huius Quæstionis cardo vertitur: quod vero eius generis est, ut non a quovis, qui Theologi aut Oratoris sacri nomen profitetur, possit explicari, neque etiam a quovis, quamvis fuerit clarissime explicatum, satis intelligi: Hoc vero ita habet: Wir beruffen uns kecklich auf den Glauben aller, auch der ältesten griechischen Codicum, in denen dieser Beschluß gelesen wird. Wir beruffen uns auf die auch uralte, und nach der Meinung der meisten Sprachkündigen, gerade nach den Zeiten der Apostel verfertigte Syrische Uebersetzung des N. T. auf andere Arabische und Orientalische Uebersetzungen mehr. Wir beruffen uns auf die gelehrten und in der griechischen Sprache wohlerfahrenen Kirchen-Väter Chrysostrum und Theophylactum, die diesem Beschluß in ihren Homiliis über das H. V. U. auch erklärt, hies mit in den griechischen Exemplaren ihrer Zeiten gelesen, und an der Glaubwürdigkeit desselben nicht gezweifelt haben. At vero universæ huic argumentationi nervus inciditur, si sumatur, hoc additamentum in S. Matthæi Textu omnibus græcis Codici-

dicibus, atque etiam ipso Chrysoſtomo antiquius eſſe, quod Clariff. Bengelius in *Apparat. Crit.* ad Lect. N. T. p. 465. admodum probabile reddidit: ubi his verbis ſuam diſquiſitionem concludit: *Infra illam certe ætatem conſiſtunt, ea monumeta, quibus nihil pro Clauſula quisquam produxit remotius aut antiquius.* Alterum, quod huic argumentationi, cuius fides ſola dicentis auctoritate nititur, & in qua adverſa huic cauſæ momenta ſtudioſe ſupprimuntur, oppoſitum volo, eſt autoritas & conſenſus omnium, qui inde a reſtauratis Sacris inter Eruditos in eo Literarum genere, unde vera & genuina N. T. Lectio ſua habet præſidia, quas vero maxima Theologorum turba ne primis quidem labris deguſtare ſolet, tantum non conſenuerunt, quique dedita opera huius cauſæ momenta utrinque ſine partium ſtudio quam diligentiffime expenderunt: Hi enim uno ore omnes Clauſulæ huius *γνησιότητις* aut aperte reiiciunt, ut ERASMUS, WALTONUS, MILLIUS, GRABIUS; aut certe eam quam maxime dubiam faciunt, ut BEZA, A MASTRICHT, ALB. BENGELIUS: quorum autoritas quantum in hac cauſa valeat, quantumve oppoſitæ Sententiæ præiudicium afferat, illi optime intelligunt, qui perſpectum habent, quam negligenter & perfunctorie ceteri, alias magni nominis, Theologi in huiusmodi cauſæ diſceptatione verſari ſoleant, ita ut non dubitent aliquando re non ſatis expenſa in alterutram partem pro ſuo arbitrio atque libidine confidenter pronuntiare, quaſi res ad liquidum eſſet perducta & extra omnem dubitationem poſita: de quibus veriffime Cl. BENGELIUS in *Appar. crit.* p. 424.

„ Multi hac methodo utun-

„ tur:

„ tur : Ubi tangitur lectio , quam in omnibus
 „ aut plerisque Editionibus extare aut sciunt , aut
 „ putant , primum eis iam hoc satis est , ut sta-
 „ tuant , defendendam esse Lectionem : deinde
 „ experiuntur , qua specie defendi possit. Ubi
 „ ea nonnihil præsidii habet , ita dicunt : Quia
 „ hæc lectio extat in MSS. in Versionibus , in
 „ Patribus , his & illis ; ideo defendemus eam.
 „ Nec tamen quærunt , utrum pauciores , an plu-
 „ res , deteriores an meliores , recentiores an an-
 „ tiquiores , MSS. Versiones , & Patres eam Le-
 „ ctionem habeant , quæ ipsis displicet. Con-
 „ tra , ubi lectio ipsis placita imbecillis est & me-
 „ lioribus præsidii destituta , ita dicunt : Quan-
 „ quam ista lectio extat in MSS. in Versionibus ,
 „ in Patribus , his & illis ; tamen eam non ad-
 „ mittemus. Nec tamen æque Codices , Ver-
 „ siones , Patres pro ea Lectione , cui favent ,
 „ producant. Itaque Versiones exoticas , Cle-
 „ mentem Alexandrinum , Origenem , Basilium ,
 „ Epiphanium , Scholiastas græcos , Augustinum
 „ item & Hieronymum , non perpensis rerum
 „ momentis , sed pro arbitrio , modo advocant ,
 „ modo explodunt , dum rem deducant , quo
 „ ipsi volunt , non quo spectat res. In Supple-
 „ mentum autem allegare solent contextum ipsum ,
 „ emphasin &c. perinde ac si altera lectio virtute
 „ sua careret ; perinde ac si contextum non le-
 „ gissent , qui eum glossis auxerunt ; perinde ac
 „ si id demum , quod textui repugnaret , ei affui-
 „ posset. „ Et profecto si hæc argumentandi ra-
 „ tio , quam in hac causa instituunt , valeret atque
 „ procederet , actum & conclamatum fere esset de
 „ loco 1. Joh. V : 7. in quo tuendo hanc ipsam ra-
 „ tionem

tionem condemnare ac repudiare , & prorsus contrariam viam insistere necesse habent : Qua de re sæpe laudatus Cl. BENGELIUS l. c. p. 466. ita differit : „ Nihil opus astutia , neque huius Clausulæ impendio alia tanquam cariora dicta sunt redimenda ; sed veritas ubique simpliciter tuenda : At certe qui Clausulam obnixe defendunt , videant ne locum Act. VIII : 37. ac potius dictum I. Joh. V : 7. amittant. Nam fere eadem monumenta , Latina , quæ duas illas Lucæ & Johannis periochas agnoscunt , Clausulam ignorant : Græca , quæ hanc admiserunt , illas removerunt. Enimvero ceterioribus seculis Græci quidam in totas periochas vim exercuerunt : Latini , antiquam Lektionem retinuerunt. Quare hic quoque Latini fide maiore digni sunt. Vide Var. §. XXVII. ad I. I. Joh. V : 7. „ Possẽm quidem iam in his subsistere , atque eos , qui controversiæ huius momenta accuratius examinari cupiunt , ad Doctissimorum Criticorum , maxime vero ad Cl. BENGELII Disquisitionem , in qua utriusque partis argumenta , quæ utrinque momentum aliquod habent , critico iudicio tanquam trutina aliqua diligenter ac doctè castigat , ablegare ; atque ab iis iure quodam meo poscere , ut prius ipsi argumenta , quæ contra huius Clausulæ fidem non parca manu , sed pleno quasi horreo a Viris in hoc litterarum genere versatissimis excitata sunt , infringant atque refellant : Quod si enim ipse nunc in hanc causam vellem descendere atque ad vivum omnia refecare , non possem non actum agere : Ita Clariss. BENGELIUS sequentes Propositiones iam assertas ac probatas dedit , ut mihi præ veritatis studio non liceat eam senten-

sententiam amplecti, quam maxime vellem. I. *Clausulam O. D. non habuit unquam Latinus Interpres, unus omnium antiquissimus: neque Tertullianus, neque ceteri Patres Latini, in Africa, Italia, Gallia, Hispania.* II. *Non habent, certe non habuerunt Græci Codices antiquissimi, non Patres, Interpretesque alii.* Quoad autem hæ Propositiones firmæ stabunt, periit fides argumentationi supra in contrarium allatæ. Sed quoniam mihi forte, dum hoc ago, in manus incidit V. Cl. J. ADAMI OSIANDRI, Tubing. Prof. extraord. *Schediasma criticum, quo, ut titulus magno hiato promittit, Authentia Clausulæ Orationis Dominicæ rationibus selectioribus asseritur, atque Obiectiones dissentientium speciosæ resolvuntur, atque ego hoc Schediasmate veritatis cognoscendæ studio cupide perlecto cognovi, ita male a Cl. Osiandro suam causam agi, ut maiorem eius defendendæ voluntatem, quam facultatem, ipsi fuisse pateat: visum est strictim quædam hæcenus dictis adicere, atque ea tantum ex hoc Schediasmate sub examen revocare, quæ duabus illis Propositionibus ex Bengelio supra citatis videri possent directe adversari.* Et primum quidem §. XXII. contra consensum Codicum Latinorum excipit unicum Parisiensem S. Germani Codicem, *Rob. Stephano* laudatum, qui Clausulam illam exhibeat; atque parum abest, quin unico huic exemplari maiorem auctoritatem tribuat, quam cæteris omnibus magno numero Codicibus, qui eandem uno convitio excludunt. Dein vero subdit: *Ad minimum scitam rationem contra Pontificios hanc Clausulam suspectam clamitantes profert JO. Gerhardus, quod scilicet in ipsum Papam sint iniurii, qui expunctam cupiant hanc Clausulam, siquidem eadem extet in Versione*

Erasmi a Leone X. *adprobata*. Verum si meminisse voluisset Gerhardus, tum a Papa Leone X. non tantum Erasmi Latinam interpretationem, sed ipsas quoque eius Annotationes laudari, in quibus diserte monuit, se quidem a Textu non refecuisse hanc Clausulam, quamvis eam suspectam haberet: tum vero, quod Erasmus Clausulam illam in latina sua interpretatione diverso caractere tanquam supposititiam & præter Codicum fidem additam notaverit, frigido hoc dictorio facile supersedisset, nec *Osiander* id tanquam scite dictum iactaret. Pergit autem ad hunc modum: *Sed enim vero fac omnes consentire, num versio fonti præiudicabit? aut num scelus affirmare, falli Latinæ Ecclesiæ vel Interpretes, vel Codicum descriptores potuisse? An maius flagitium istud affirmare, quam totam Ecclesiam græcam falsi arguere? Consõna hisce sunt illa H. Witsii: „ In latinis quidem Codicibus non inveniri hanc pericopen certum est: „ Sed quæritur, quid iustius sit, an Latinos, ut „ recentiores, ad Græcos, quippe antiquiores, „ corrigi; an Græcos propter Latinos lituram „ pati. „ Mirus hic in verbis & vagis locutionibus lusus est: Quis enim unquam versionem fonti præferre, aut totam Ecclesiam græcam fraudis arguere, aut recentiores Codices, ob hoc ipsum, antiquioribus maioris æstimare sustinuit? Scilicet hoc agitur; quum ostendi possit, antiquissimam Latinam Interpretationem, quæ omnium Græcorum Codicum ætatem longe superat, & ad Apostolorum ætatem proxime accedit, hanc Clausulam nunquam agnovisse; annon recte inde colligi possit, Græcum illum Codicem, e quo primum Translatio facta est, & qui Apostolorum*

tem-

tempora proxime attingebat, hanc *περιοχὴν* quoque ignorasse? Ut taceam dudum a Criticis hanc Canonem esse receptum: *Interdum Latinus Græco, interdum Græco Latinus prævalet*: quem multis confirmatum dedit Cl. BENGELIUS in *Apparat. Critic.* p. 426. seq. Non autem serio agere videtur Cl. *Osiander*, quando sibi persuadet, novum suæ causæ præsidium accedere, quum adiicit: *In specie vero Versio vulgata sententiæ nostræ iure non officit: - - Licet enim eam ut antiquam in pretio habeamus, suisque dotibus instructam esse non diffiteamur, pro authentica tamen agnoscere & pro canonica habere eam non possumus*: quam canonicæ auctoritatis negationem deinceps VII. argumentis ex *Systemate polemico* repetitis prolixè adstruit: Quasi tanto molimine opus esset; aut quasi nulla possit esse *Versionis Latinæ*, nisi eam pro divina & canonica habeas, auctoritas in expungenda e *S. Matthæi Textu Clausula O. D.* Neque quicquam proficit Cl. *Osiander*, quum ad elevandam aut evertendam *Latinæ Versionis Italicæ veteris auctoritatem, Syriacæ N. T. Interpretationis*, quæ in hodiernis Codicibus hanc Clausulam præferat, fide abutitur: Non poterit enim, quod nos in *Latina Versione præstamus*, fidem facere, quod iam olim *Syriaca Versio Clausulam illam fuerit complexa*; eam enim qualis nunc est, per interpolationes ex *Græcis Codd. ceteriorum Seculorum* magnopere fuisse deformatam extra controversiam est. Neque felicior est Cl. *Osiander* in oppugnando *Consensu Patrum Latinorum §. XXIII.* *Non miramur, inquit, quod TERTULLIANUS & CYPRIANUS Doxologiam O. D. non attigerint, cum eandem in Versione sua Latina non habuerint.* Confite-

tur ergo Tertulliani ævo hanc Clausulam pro spuria habitam in Latina Versione non comparuisse. Et mox de Hieronymo: *Verum HIERONYMI silentium expendamus necesse est. Nusquam hic Clausulam O. D. Doxologicam addit, cum vir esset in usu Codicum Græcorum æque ac Latinorum versatissimus: gravi ergo ratione & magno Codicum consensu motus illam pro divina non habuit. Recte sane: nisi quod illud simul addendum, labi quoque potuisse Hieronymum fallique: quod non raro illi contigisse palam est. - - Quid igitur obstat, quin & errasse credamus Hieronymum, cum Doxologiam O. D. omitteret apud Matthæum? atque idem contigisse AUGUSTINO, Africanos Ecclesiæ suæ Codices secuto? Eadem facilitate lapsus apparet etiam GREGORIUS M. dum erroneam lectionem ævo suo pridem receptam retinuit. Eandem vero tibiam inflat, quum ad Græcos Patres progreditur §. XXV. quorum autoritatem sententiæ, quam stabilitam vellet, obstare intelligit: ORIGENEM quod concernit, utut diligens fuerit, non eapropter caruit nævis suis etiam cum de lectione sacri textus lis est: & vel id solum dubiam eius laudem facit, quod divinum Codicem variis & ridiculis explicationibus detorquet. - - Igitur non immerito Whitbius: „ Origenem, inquit, in „ hac re parvi facio, nempe qui hic, ut sæpe „ alibi, festinans cœcutit: Cum itaque Origenes omni exceptione maior non sit, lubrico „ niti fundamento existimamus argumentum ab „ ipsius dissensu nobis oppositum. „ De GREGORIO autem NYSSENO tenendum est, quod Clausulam O. D. eapropter nec omiserit, nec nesciverit, quia illi nullam expositionem addidit, sed quod more Græcorum veterum Liturgiarum una cum Doxologia Filii & Spiritus S. eam protulerit. - - Et si hæc responsio suffice-*

re non videtur in ordine ad Gregorium Nyssenum, scient, velint nolint, qui autoritate huius Viri induci se adversus nos patiuntur, quod is Origenis nimio studio fuerit captus, unde non mirum, si eandem cum Origene tibiam hac in re inflavit, & quidem pessime. Ut illud non urgeamus, quod credulæ nimis ac pene anili simplicitati fuerit deditus. Hæc si valeat argumentandi ratio: Hieronymus labi potuit, immo sæpe erravit: Origenes non caruit suis nævis, neque omni exceptione maior est: Gregorius Nyssenus credulus erat: Ergo lubrico nititur fundamento argumentum ab illorum dissensu petitum; profecto nulla amplius erit Patrum Græcorum in asserenda genuina N. T. Lectione auctoritas: Immo nullius nec hominis, nec codicis, nisi qui sit ab omni labe purus, testimonium, ne quidem in re facti, quicquam amplius valebit; atque ita inducetur verus Scepticismus historicus. Et quum perhibet Osiander *Augustinum* Africanos Ecclesiæ suæ Codices secutum, qui Clausulam illam non exhibuerint; quomodo docebit, Codices illos & *Tertulliani* & *Augustini*, a Græcis illius temporis, quoad hanc pericopam, discrepasse, atque etiam, si vel maxime discrepaverint, Latinos, non vero Græcos, errasse aut vim aliquam fuisse passos. Maxime vero suam incuriam prodit Osiander §. XX. cum ad obiectionem de quibusdam Codicibus Græcis, qui Clausula O. D. destituantur, hunc in modum respondet: *Possemus uno ictu adversarios nostros profligare cum Erasmo, Bellarmino & Diätenbergero, qui fatentur, nostram pericopam exstare in OMNIBVS Codicibus græcis. Sed his suppetiis opus nondum habemus. Sit ita, epilogum Orationis dominicæ, secundum testimonium Bezæ deesse in*

vetustissimis aliquibus Codicibus græcis, præiudicat tamen illis, ut cum Glassio loquamur, primo concentus reliquorum Codd. græcorum constantissimus. Nec dubium, quin primis quidem temporibus diversitas exemplarium hic fuerit: quæ progressu temporis ita sublata, ut constanter illa in Græcis fuerit retenta, & pro canonica & genuina parte a priscis Patribus agnita. Secundo, quod de suo exemplari Parisiensi, (quod pericopam illam non habet) dicit Brugensis, ad Latina fuisse castigatum, quidni etiam de antiquis Bezæ (si qui fuerunt) Codicibus asserti possit. Deinde, ut Jo. Frickii verba nostra faciamus, velit nolit Millius, fateri necessum habet, omnes Codices, quotquot supersunt bonæ notæ atque eximia vetustatis, Vaticanos, Erasmanos, Parisienses, Alexandrinum, Cæsareum, & quos non? exhibere nobis coronidem O. D. Doxologicam. Neque est, quod obiiciat nobis Codicem unum Rob. Stephani, ut & Cantabrigiensem, in quibus non reperiatur. Tot enim extant utriusque horum Codd. lectiones corruptæ, & ad Latinam editionem perperam immutata, tot itidem interpolationes ac detractiones, ut inter bonæ notæ Codices duos istos referre omnino fas non sit, iudice ipsomet Millio, qui fuse vitia eorundem enumerat. Tædet me singula, quæ hic temere ac præter rationem dicta sunt, arguere: Prætermittere tamen non possum, quominus unam alteramque Osiandri hallucinationem obelo configam. Et primo quidem miror, qui ausit ad ERASMUM provocare, cum de omnium Græcorum Codd. consensu quæstio est: quasi Erasmus omnes Græcos Codd. inspexerit, aut quum in universum loquitur, alios intelligat, quam ad quos editiones suas se recognovisse ipse fatetur. Quæ vero Bellarmini aut Diätenbergeri in hac quæstione possit esse

esse auctoritas, ego quidem non intelligo, quamquam se his præsiidiis uno ictu omnes adversariorum copias profligare posse confidenter iactitet. Deinde quum ad consensum omnium, quotquot supersunt bonæ notæ & eximiæ vetustatis Codicum provocat, abiectius quam par est sentire videtur de cæteris, qui Clausulam non exhibent, Codicibus; quibus præter eos, quos h. l. enumeravit, alios non minoris commatis & pretii adiacere potuisset: Adhæc non assequor qua fronte potuerit inter eos Codices, qui O. D. Clausulam præferant, recensere etiam *Alexandrinum*, qui tamen in Matthæo usque ad Capitis XXV. v. 6. hæc verba ἐξέρχεσθε εἰς ἀπάλησιν αὐτοῦ, mutilus est. Denique nec illud silentio prætereundum est, longe aliam esse huius varietatis in MSS. Codicibus rationem, quam ceterarum omnium, etiam ubi de additamento suspectus est aliquis locus: etenim si sumamus hanc Clausulam O. D. ab ipso Domino fuisse dictatam; non facile concipi potest, qui accidere potuerit, ut vel negligentissimus librarius in describenda hac precum formula, quæ quotidiano usu ita familiaris omnibus erat, ut ne quidem oscitantes in ea recitanda aberrarent, eius Clausulam omitteret, neque errorem statim animadverteret; multo minus, quomodo error iste semel admissus in alios deinceps Codices potuerit propagari.

Cæterum quanquam Lucæ silentium seorsim spectatum Clausulæ illius apud Matthæum γνησιότητα non directe confellat; siquidem usitatissimum est, unum Evangelistam interdum silentio præterire, quod alter sua narratione explicat: Negari tamen

non potest, ubi semel Clausulæ illius apud Matthæum fides suspecta ac dubia esse cœpit, hoc Lucæ silentio eam suspicionem multum omnino confirmari & maiorem probabilitatis gradum acquirere. Non potest enim non insolitum videri: Christum Dominum quo tempore in sermone publico hoc argumentum attigisset, concioni populi ultro eam precum formulam præcepisse, cui adiecta fuerit Δοξολογία: mox vero deinde, quum a Discipulorum quodam esset rogatus: Κύριε, δίδαξον ἡμᾶς προσεύχεσθαι, καθὼς καὶ Ἰωάννης ἐδίδαξε τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ: eandem illum formulam, sed parte aliqua mutilam & Δοξολογία destitutam tradidisse: Cui non probabilius esse videtur, si quidem alterutro loco omitti potuerit, apud Matthæum potius fuisse omissam, apud Lucam contra additam istam Doxologiam? ut nimirum Discipuli haberent formulam quam sequerentur, quæ nulla parte manca esset. Et profecto levissimæ sunt ac nullius fere momenti rationes, quibus hoc Lucæ silentium excusare volunt plerique, qui Δοξολογίαν illam apud Matthæum a Domino profectam sibi persuadent: GUALTHERUS Homil. XCIII. in Matth. p. 219. b. *Non autem moveat aliquem, quod Lucas hanc partem omiserit. Huic enim satis fuit docere, quis invocari, & quid peti debeat. Et sic inter Evangelistas Spiritus S. operas distribuit, ut alii alios illustrent.* Cui vero huiusmodi responsio possit satisfacere? non enim quæritur de certo aliquo facto, aut facti illius hac vel illa circumstantia, quæ ab uno Evangelista fuerit diserte exposita, ab alio vero silentio præterita: In his rebus omnino sapientem operarum distributionem inter Evangelistas pro ratione allegari posse, concedimus

mus. Neque de omissione aliqua a Luca facta quæstio est : Sed poscimus rationes , quas oportet fuisse gravissimas , ob quas ipse Dominus , quum altera vice Discipulis rogantibus eandem precum formulam impertiisset , eam non integram , sed omissa *Δοξολογία* tradiderit ? Jam vero ad hanc quæstionem nihil pertinet sapiens illa inter Evangelistas operarum distributio. Neque etiam ad solvendum isthoc dubium quicquam facit , cum dicunt , Lucæ , aut potius Domino , satis fuisse docere ; Quis invocari & quid peti debeat ? Quidni enim Domino & priore illa occasione a Matthæo commemorata satis fuerit hoc ipsum docere ? quod si sumatur , admodum proclive est colligere , hanc Clausulam esse merum additamentum. Sed aliam rationem commentus est , qua possit huic dubio satisfieri , Celeb. LIGTFOOTUS , quam Cl. SAUBERTI verbis ex *Dissert. de Precib. Hebr. §. XI. p. 127.* referam : *Primo apud Matthæum Christus inter differendum in monte illam orationis formulam discipulis ultro tradidit , cum a nemine esset rogatus : eamque cum gemina adiecta Clausula , quæ utraque cæteroquin publicarum Precum erat. Igitur & illam Oratiunculam publicam esse credebant Discipuli : & nihilominus aliquam , qua privatim uti possent , a magistro suo more gentis edoceri flagitabant : Cum id solemne fuerit , ut Rabbini seu Doctores precum privatarum formulas ex suo ingenio formaverint , suisque postea Thalmidhim seu discipulis tradiderint. Itaque post solidum fere sesquiannum , incertum quo loco , altera vice adeunt Christum discipuli , non docentem & concionantem plebi , sed postquam vacasset precibus , enixe petentes , ut doceat ipsos orare , sicut & Joannes doctuit discipulos suos , h. e. formulam quandam precationis , qua*

privatim possent uti. Ibi Christus repetiit formulam illam, quam ante sesquiannum inculcaverat, omissa tamen duplici coronide, quæ publicum sapiebat usum, ne discipuli amplius errarent. Quis autem sibi poterit persuadere, Christum præcepta illa apud Matthæum precandi formula voluisse publicam Ecclesiæ Liturgiam castigare; quum satis constet Dominum hac in parte sese usui inter Judæos formulisque in cultu publico receptis accommodasse: quumque ipse Saubertus fateatur, publicas preces nonnisi auctoritate publica fuisse confectas ac communi Ecclesiæ consensu receptas? Vel etiam Discipulos cæteramque populi turbam in eam opinionem adduci potuisse, quasi Christus præscriptam hanc formulam publico tantum usui destinasset, quum e v. 6. Cap. VI. Matth. clarissimum sit, ipsi de precibus privatim & in secessu usurpandis ac peragendis sermonem fuisse? Quin potius si tale quid respexisset Dominus, prorsus omittenda fuerat apud Matthæum duplex hæc Clausula, quia noverat in publico precum exercitio, quamvis nihil diserte ea de re præciperet, hæc Antiphona post singulas preces finitas a populo reddi, easque his formulis quasi obsignari. Et quoniam apud Judæos in privatarum precum usu Δοξολογία hæc nunquam fuerit adhibita, nulla idonea dari potest ratio, quamobrem Dominus apud Matthæum eam adiectam voluerit, si quidem, quod ipsi volunt, Judæos hac in re fuerit imitatus.

Plura non addo, nisi hoc unum, quod præclare a quodam monitum deprehendo: *Ex omnibus dotibus, quæ in his, qui sese ad Crisin Lectionum N. T. accingunt, requiruntur, longe præcipuum locum sibi*

*sibi vindicat Candor , h. e. studium veri simplex & re-
ctum , animusque ab omni studio partium alienissimus.
Nemo certe alius diiudicandis Lectionibus atque aestiman-
dis singulis idoneus erit , nisi cui persuasum fuerit , non
id agi , ut suarum partium Doctrinam confirmet , sed
ut verissimam Lectionem eruat , Codicibus MSS. Pa-
trumque testimoniis & cæteris criteriis comprobata.
Haud facile animus verum pervidet , ubi vincendi cupi-
ditas officit , ac plerique haud difficulter sibi persuadent ,
eam omnino Lectionem optimam esse , quam optimam ha-
beri vellent.*



NO-